

ueniet in periculum perdendi oculos, aut magnum malum in illis patietur.

### De secunda domo.



**S**aturnus in secunda domo, non in domicilio, uel in exaltatione sua, significat quod natus erit modicæ & paucae substantiæ, cui omnes male uelint, & erit sine amicis, significat etiam ablationem substantiæ, & turbationem amicorum. Si fuerit in domicilio, uel exaltatione sua, facit hominem diuitem, sed auarum, & miserum,

Jupiter, significat multam substantiam, bonam dispositionem, & ingenium, & nunquam erit pauper.

Mars, significat paucitatem substantiæ, & ablationem eius per furtum, uel per impetum alicuius serui uiolentum, & per turbationem ministrorum, facit hominem destructorem rei familiaris, & indigentem, qui semper obiurgabit seruos, & suos subditos.

Sol dat pulchritudinem & latitiam in collo, & faciet expendere in rebus magnificis, honoratis, & liberalibus, dat etiam pulchritudinem oculorum.

Venus significat multitudinem substantiæ, præsertim ad ornatum pertinentis, significat etiam substantiam & profectum à mulieribus, etiam magnas diuitias & utilitates à mulieribus, & ab uxore, & non erit magis pauper. Et si fuerit sacerdos, habebit beneficia ecclesiastica.

Mercurius significat diuitias & mercationes, & profectum substantiæ, honorem apud reges, augmenta diuitiarum per ingenium nati, erit fortunatus in scripturis & mercaturis, bonus scriptor & pictor, ualebitque in omni arte mechanica, erit doctus & ingeniosus.

Luna in secunda significat, natus consequetur diuitias ex piscinis seu piscibus & animalibus aquæ, & per molendina. Luna infortunata in secunda, significat perditionem & mœrorem, & dat dolores & frustrationes. Fortunata etiam ibidem dat multas diuitias, & utilitates ex legationibus magnorum principum & dominorum.

Caput in secunda, significat augmentum diuitiarum, & bonam fortunam, ita quod non erit unquam pauper, habebit hæreditatem uel bona ecclesiastica, erit diues & avarus.

Cauda, dat paupertatem, destructionem rei familiaris, cadet de loco alto improuise, eritque homo prodigus & fortunatus in ludo. Cauda ibidem cum Luna, facit dissipatorem suæ substantiæ.

### De tertia domo.



**S**aturnus in tertia domo, significat malum in breuibus itineribus, & odium inter fratres & destructionem eorum, uel quod non habebit, nisi unum, & si haberet aliquem, semper erit in discordia cum ipso erit infortunatus in uis, erit parum deuotus, uel hypocrita, omnia eius somnia erunt uana.

Jupiter significat prosperitatem in breuibus itineribus, reddit natum fortunatum ex fratribus & propinquis suis, erit deuotus & credulus, somnia eius erunt uera.

Mars in breuibus itineribus malum minatur, & timendum erit ipsi ab homicidis aut latronibus in illis, aut de uulnerationibus, significat etiam inimicitiam fratrum & interfectionem eorum inter se. Et si est in domicilio Veneris, erit gaudium ex fratribus & sororibus. Vel Mars in tertia, facit mori omnes fratres nati, & semper stabit in lite cum fratribus, erit blasphemator, non timens Deum, & erit infortunatus

B b iij in iti